



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

LXXI. Rvpertvs. L. Arch. XXXIV. Elector.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

## S E C U L U M X V .

LXX. THEODORICVS II. XLIX. ARCH.  
XXXIII. ELECTOR.

**T**HEodoricus II. Comes de Mōrs annis 48. Archiepiscopus, Episcoporum duorum frater, ipse simul Episcopus Paderbornensis floruit. Inter facinora Theodorici majora numeravit posteritas diem Theophoriæ solennem, quem sacrationem esse præcepit, ut Latrepticus cultus adversus hæreses ampliùs splenderet. Cæsaris Verdani ad illud usque tempus Clivensi Comiti subjectam ditionis suæ fecit; susatum verò nimis tributis fagitatum amisit, subditis Comitem Marchiæ sibi dominum poscentibus. An. 1463 mortuis apposuit.

LXXI. RVPERTVS. L. ARCH.  
XXXIV. ELECTOR.

**R**upertus Dux Palatinus Friderici cognomento Victoriosi Electoris frater, à Colonia Canonicis est electus ea lege, qua Archipræsulis restricta plurimùm fuit potestas sacra juxtà ac profana, vixque relicta sunt Electoris sustentationi congruæ accessaria. Aegerrimè servitutem hanc novissimam tulit cum fratre frater Victoriosus; quare conducto exercitu laturus opem Ruperto, oppida varia & arces Canonicorum copiis occupatas expugnavit. Seditio inde ingens adversus Rupertum exorta turbavit omnia: anno namque 1473. à Canonicis in Colonia Antistitem electus Hermannus Hassiæ Marchio, in suppetias vocavit Carolum Audacem Burgundorum Ducem, qui continuò Novesium urbem in Coloniensi Electoratu munitissimam obsidione cinxit; sed demum à Friderico III. Cæsare repulsus, ab incepto opere destitit. Rupertus interea omni ex parte derelictus, dum fugam capessivit, in via ab Henrico Hassiæ

siæ Marchione interceptus, annis 3. in captivitate libertatem desideravit anno 1480. inter ærumnas mortuus an. 17. Elector. Mortui cadaver Bonnam translatum, diuturno tempore sepulchrum haud impetravit.

LXXII. HERMANNVS IV. LI. ARCH.  
XXXV. ELECTOR.

**H**ermannus Hassiæ Landgravius cognomentum Pacifici sibi accersivit pacem servando & bella vitando. Atque hac potissimum arte tantum vicit & sibimet devinxit subditorum plurimorum animos, ut etiam anno 1489. in Paderbornensem Episcopum delectus, nemini non placuerit, præcipue cum universi Hermannum scirent in pauperum catervas esse adeo largum atque benevolum, ut iter faciendo mendicabulorum manipulis vias publicas impleverit, haud immerito *Pater Pauperum* cognominatus. Si suo tempore Comitiam Imperii Hermannum in remotiores urbes Coloniâ avocarunt, passim consueverunt multi dicere, nequaquam multis inquirendum esse, ubi domicilium haberet Elector Hermannus: custodias enim ejusdem esse copiosos pauperes, totam latè viciniam implentes, & urbe tota Hermannum celebrantes. Non minus liberalem sese exhibuit ædibus sacris, quas auro & argento aliisque donis exornare in deliciis erat Archipræsuli virtutis studiofissimo, quem post Sedis annos 28. an. 1508. ad tumulum copiosis lacrymis profecuti sunt cujusvis status ac generis viri feminæque.

SECVLVM XVI.

LXXIII. PHILIPPVS II. LII. ARCH.  
XXXVI. ELECTOR.

**P**hilippus II. Comes Ebersteinius, ut multorum technas & prava eluderet consilia, nobilium non paucos Electori  
Z 2 Colo-